

Band VIII., Nr. 3005, Seite 248-250

Graf Eberhard von Württemberg beurkundet den Verkauf von Weinbergen zu Stuttgart und (Ober-)Türkheim durch seinen Dienstmann Friedrich von Bernhausen an das Kloster Salem.

Esslingen, 1280. November 22.

Omnibus hanc paginam inspecturis Eberhardus comes de Wiertenberg rei geste notitiam cum salute. Ut in factis modernorum successoribus subtrahatur occasio littigandi, expedit ipsa facta litterarum serie perhennari. Ea propter noverint universi, quod cum Fridericus filius quondam Friderici de Bernhusen ministerialis noster ex causis licitis et honestis de Wolframmi sui patruī de Bernhusen, qui tunc temporis suus extitit tutor, eo quod dictus iuvenis nondum annos legitimos adimplevit, procuratione scientia et consensu quibusdam debitis premeretur, occasione quorum^a debitorum partem suarum possessionum distrahere necessario cogebatur, vineam suam sitam in Stütgarton dictam ze der langen vurhe et ipsius vinee fundum nec non vineas in Durnkain¹ dictas hinder der kirkun et ipsarum fundum cum omnibus attinentiis viris religiosis . . . abbati et conventui monasterii de Salem suoque monasterio una cum dicto suo tutore, Aidilh[aidis] sororis sue et omnium, quorum intererat, consensu voluntario concurrente receptis ab eisdem de Salem centum et una libris denariorum Hallensium eo modo, quo ius et consuetudo generalis nostre provincie requirebant, vendidit tradidit et donavit ipsas vineas et ipsarum possessionem vacuum cum omnibus iuribus et libertatibus, prout sibi proprietatis titulo pertinebant, per manus nostras in dictum abbatem suumque conventum ac ipsorum monasterium possidendas pacifice transferendo, renuntians una cum dicto tutore suo pro se et suis heredibus universis omni iuri actioni exceptioni defensionis omni subsidio tam legum quam canonum omni consuetudini tam loci quam patrie litteris impetratis vel impetrandis iuri restitutionis in integrum pecunie non numerate et omnibus tacitis et expressis, que sibi in dictis vineis competebant vel dictum venditionis contractum tam legitime celebratum possint in posterum vel debeant enervare, promittens una cum sepedicto tutore suo nec non Wolframmo iuniore de Bernhusen, Walthero de Kaltental, Wolframmo dapifero de Steten,

^aUrsprünglich *quorundam*, die letzte Silbe jedoch durch untergesetzte Punkte getilgt.

¹Die Beziehung auf Obertürkheim ergibt sich aus der Lage der dortigen Kirche auf dem Berg zwischen Weingärten.

II

Wolframmo de Nippenburc et Wolframmo senioris Wolframmi filio in perpetuum prestare warandiam de premissis, quotiescunque et coram quocunque iudice seu homine in forma iuris fuerint vel extra requisiti, suis propriis laboribus et expensis. Et ad maiorem cautelam de premissis supradicto monasterio de Salem exhibendam et fratribus inibi constitutis iidem omnes et singuli, quotiescunque dicti fratres de Salem actionem quamcunque seu obstaculum a quocunque homine quamvis modice senserint in premissis, si infra XIV dies post ammonitionem ipsis factam obiectum obstaculum plene non fuerit emendatum, sub iuramento super hoc prestito corporali omni dilatione exceptione occasione postpositis bona fide simpliciter sine dolo se apud Ezzelingin recipere in obstagio tenebuntur inde nunquam recessuri, donec dicti fratres de Salem super mota sibi questione vel questionibus seu dampno vel gravamine, si qua in dictis vineis senserint, integraliter fuerint absoluti, et ad hoc faciendum quotiens necesse fuerit ad vite sue terminum sunt astricti. Quibus omnibus consummatis nos prehabito proborum virorum consilio saniori ob dilectionem dei et dictorum Friderici et tutoris sui de Bernhusen ministerialium nostrorum ac etiam dictorum fratrum de Salem predictas vineas et ipsarum possessores pro nobis et nostris heredibus et successoribus universis exnunc in perpetuum absolvimus et absolutas pronuntiamus ab omnibus servitiis et exactionibus, que nobis seu nostris progenitoribus universis in dictis vineis competebant vel competere videbantur casu quolibet contingente, sive que a nobis vel a nostris officialibus dictis vineis imponi consueverant quocunque iure quacunque consuetudine quocunque modo, sint totaliter absoluti. Acta sunt hec apud Ezzelingin, anno domini MCCLXXX., in die beate Cecilie virginis et martyris, in strata publica, subnotatis testibus presentibus et rogatis, videlicet nobili domino Ottone comite de Brandenburc, Marquardo filio Wolframmi de Bernhusen, de civibus in Ezzelingin Hainrico Stainbize, Cûnrado seniore de Niurtingen et fratre eius Cûnrado, Sifrido de Durnkain, Rûdolfo Hasenzagel, Wernhero Meldeli, Wernhero de Bûwenburc et magistro Rûperto medico, de fratribus vero de Salem fratre Hainrico maiore cellerario dicto de Isenina et fratre Gerungo dicto Eggehart converso in Salem aliisque quam pluribus probis viris. In cuius facti evidentiam et robur perpetue firmitatis presens instrumentum super hoc ad petitionem partium confectum et sigillis nostro videlicet et predictorum Friderici et Wolframmi tutoris sui ministerialium nostrorum nec non universitatis in Ezzelingin communitum monasterio de Salem et suis fratribus tradidimus pro testimonio et cautela. Nos Fridericus et Wolframmus de Bernhusen predicta omnia prout premissa sunt esse vera presentibus protestamur sigilla nostra una cum sigillis predicti domini nostri comitis Eberhardi et universitatis in Ezzelingin in premissorum testimonium apponentes.

III

—

Nach dem Codex Salemitanus in Karlsruhe.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

67/1164 S. 165-167 Nr.137

Editionen:

Codex diplomaticus Salemitanus, Bd. 2, S. 246, Nr. 625.

Regesten:

UB Stuttgart, S. 4, Nr. 13.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Esslingen

Ortsindex:

(Burg) Württemberg Wüstung (21519)
 (Burg) Württemberg, Stuttgart, S, W
 Bernhausen Wohnplatz (481)
 Bernhausen, Filderstadt, ES
 Brandenburg Wohnplatz (16745)
 Brandenburg, Dietenheim, UL
 Esslingen am Neckar Wohnplatz (331)
 Esslingen am Neckar, ES
 Hundersingen : Herberdingen SIG
 Hundersingen Wohnplatz (21067)
 Isny im Allgäu Wohnplatz (19528)
 Isny im Allgäu, RV
 Kaltental Wohnplatz (30)
 Kaltental, Stuttgart, S
 Nippenburg Wohnplatz (1089)
 Nippenburg, Schwieberdingen, LB
 Nürtingen Wohnplatz (421)
 Nürtingen, ES
 Obertürkheim Wohnplatz (40)
 Obertürkheim, Stuttgart, S
 Schloss Salem : Salem FN
 Schloss Salem Wohnplatz (18257)
 Stetten : Kernen im Remstal WN
 Stetten Wohnplatz (1765)
 Stuttgart-Mitte Wohnplatz (55)
 Stuttgart-Mitte, Stuttgart, S